

nempe si quis, subsidium ob meram avaritiam denegans, causa foret ut sacerdotes indigerent vel ceteri fideles nimis gravarentur. (Kenrick, Th. M. t. I. tr. 4. p. 2. n. 64)

TRACTATUS VII.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

434. In hoc tractatu, ex Ecclesiae praceptis ea tantum consideramus quae ad omnes fideles pertinent, neque in aliis tractatibus, tamquam loco proprio, occurunt. Solet quidem hodie, in omnibus regionibus catholicis, catechismis inseri cunctisque inculcari formula quaedam quae "Ecclesiae mandata, nuncupatur. Attamen numerus mandatorum illorum modusque ea proponendi varii sunt, pro cujusque regionis utilitate et praxi: nullam enim formulam supra Ecclesiae auctoritas sanxit.

Nos hic agemus tantum de tribus Ecclesiae praceptis: 1^o de festorum observatione (quatenus hoc argumentum nondum explicatum est ubi de tertio Decalogi pracepto); — 2^o de jejunio et abstinentia; — 3^o de pravorum librorum prohibitione.

De annua confessione et communione neconon de variis praceptis circa matrimonii celebrationem, commodius agetur in tract. de Eucharistia et de Matrimonio.

Praeterea veteres Theol. inter pracepta Ecclesiae communia recensabant *solutionem decimarum*. Patres autem Conc. Baltim. III. in catechismo quem edi jussérunt, tamquam quintum Ecclesiae praceptum recensent: "Subsidium aliquod conferre ad congruam Pastorum sustentationem." His tamen non immorabimur. Nam decimae antiquae, in regionibus fere omnibus, obsoleverunt. Manet quidem ubique lex naturalis, divino jure confirmata, ut fideles necessaria ad victum suppeditent clericis curae animarum addictis (2. 2. q. 87. a. 1); sed in multis regionibus, ut in Gallia et Belgio, huic necessitatì aliunde provisum esse solet. Ubi vero aliunde provisum non est, ut in Stat. Foed. Amer., nihil determinatur per legem positivam circa rationem et quantitatem subsidii a singulis persolvendi. Ideo universe inculcanda fidelibus obligatio ut pro suis quisque facultatibus clericorum sustentationi contribuant; gravis autem peccati plerumque nemo arguendus ob omissum subsidium. Id faciendum esset tantum in extraordinariis adjunctis,

CAPUT I.

DE FESTORUM OBSERVATIONE.

435. Agentes de tertio Decalogi pracepto, jam declaravimus quonam ex jure praceptum servandi dies Dominicos et festos oriatur (n. 332) et quid iis diebus praestandum vel omittendum sit. (n. 333 seqq.) Hic ergo tantum restat ut explicemus quinam dies, ex hodierna disciplina, tamquam festi colendi sint.

Jamvero, praeter dies Dominicos, qui constanter ubique colendi sunt, pauca omnino sunt festa in omnibus regionibus christianis celebranda. In singulis inspiciendum est quid S. Sedes per Concordata, Indulta, Decreta, etc. statuerit.

In Gallia et Belgio, numerus festorum maxime restrictus est Indulto quod, ex auctoritate Pie VII, edidit Card. Caprara 9 Apr. 1802; nam mansere tantum Nativitas et Ascensio D. N. J. C., Assumptio B. M. V., Festum O.O. SS. In ceteris ergo festis antea vigentibus, praceptum abstinendi a servilibus et audiendi Sacri sublatum est. Manet tamen clero obligatio peragendi divina officia in festis suppressis vel quorum sollemnitas ad Dominicam sequentem translata est, sicut ea ante suppressionem peragi solebant. Cfr. Craisson, Man. Juris Can. n. 4905 seqq. In Stat. Foed. Amer., praeter quattuor festa modo enumerata, colenda sunt Imm. Conc. B. M. V. et Circume. D. N. J. C. ut, potentibus PP. Conc. Baltim. III., indulsit Leo PP. XIII. Merito notat Lehmk. (I. n. 1222): multos fideles in his Statibus excusari posse, si, iis diebus qui ab heterodoxis non servantur, operibus civilibus vacant, quadam necessitate coacti, praesertim si Sacro rite intersint; immo etiam, ubi plerique fideles necessitate coacti dies festos observare omittant, contingere posse ut quidam aegre sibi persuadeant manere gravem audiendi Sacri obligationem: prudentis igitur confessarii esse ne, ultra quam expeditat, in iis adjunctis, utramque obligationem urgeat.

Postquam ita numerus festorum suprema Sedis Ap. auctoritate in aliqua regione statutus est, certum est jam non esse in episcopi potestate quaedam ex iis supprimere: hoc enim aperte Rom. Pontificis mandatis contrarium foret. Etiam nova festa instituere episcopus non posset quin iret contra mentem S. Sedis, quae, potentibus guberniis vel epi-

scopis, numerum festorum restringere et uniformem rationem in totam regionem introducere intendit. Quare, saltem practice, obsolevit potestas quam Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 12) in episcopis agnoscit, praecipiendi ut quidam dies festi, in eorum dioecesi, etiam a Regularibus serventur. Videsis Craisson, op. cit. n. 4900 seqq.

CAPUT II.

DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA.

436. Jejunium, quandoque latiori, quandoque strictiori sensu sumitur. Latiori sensu, duas partes praecipuas complectitur: imprimis prohibitionem ne plus quam una corporis refectio singulis diebus sumatur. cui prohibitioni, tamquam accessoria, conjungitur lex de certa hora huic unicae refectioni assignanda; deinde prohibitionem comedendi carnes, cui accedit lex de non permiscendis piscibus cum carnibus, si quis ad eas manducandas dispensatus est. Strictiori sensu, jejunium nonnisi priorem ex his prohibitionibus designat.

Plures antiqui DD. ut Busemb. (ap. S. Alph. l. 4. n. 1004) opinabantur abstinientiam ita esse de jejunii essentia ut cui ob debilitatem permitatur usus carnium, etiam altera refectio sit licita. At, ex quo Bened. XIV (Enycel. *Non ambigimus*, 31. Maii 1741) edixit eos quibuscum dispensatum sit ad comedendas carnes, teneri ad unicam comedionem servandam, certum est has duas partes separari posse (S. Alph. n. 1013): quod ex hodierna praxi omnibus patet.

Jejunium, ex lege communi et seclusa dispensatione, *quoad utramque partem suam* servandum est tempore Quadragesimae (exceptis Dominicis), in Quattuor Temporibus, in vigiliis Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. J. C. In Gallia et Belgio, cum sollemnitatis SS. Apostolorum ad sequentem Dominicam transferatur, jejunium in Sabbato servandum est; at, si dies 29 Junii in Sabbathum inciderit, jejunandum est feria sexta. (S. Inqu. 22 Nov. 1879)

Abstinentia sola ex communi lege servanda est in Dominicis Quadragesimae et quoque feria sexta (nisi inciderit in festum Nativitatis Domini). Abstinencia Sabbati in multis locis observatur, quamquam lex universalis de ea existare non videtur. Juxta Bened. XIV (de Syn. dioec. l. 11. c. 5. n. 5), carnes comedere die Sabbathi licet ubicumque earum usus a recepta consuetudine non est interdictus. Nihilominus, ubi de peregrinis agitur, solent AA. legem abstinentiae Sabbatinæ habere ut communem

ideoque censent ea obligari eos qui e loco ubi non viget, ex. gr. ex Hispania, ad locam ubi viget divertunt. (Gury, I. n. 95.; Lehmk. I. n. 1207) Reapse enim consuetudo, quae est optima legum interpres, spectat abstinenciam Sabbatinam tamquam per se ubique vigentem, saltem in Europa, et paucas regiones in quibus non viget tamquam privilegio donatas. Hodie in Belgio, Stat. Foed. Amer. aliisque regionibus quotannis in hac abstinencia dispensatur. Verum S. Inqu. 10 Jan. 1855 declaravit peregrinantes extra Belgium non posse die Sabbathi comedere carnes in locis in quibus viget ista lex.

Praeterea, in pluribus regionibus, quidam dies jejunii vel abstinentiae e peculiari consuetudine vel lege servandi sunt: de quibus unusquisque sua regionis mores consulat.

E maxima varietate qua Ecclesia leges jejunii, labentibus saeculis, proposuit, manifeste constat eas esse *juris tantum positivi*. Id communis sententia Theol. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 2. n. 30 seqq.) admittit de ipso jejunio quadragesimali, quod jugiter tamquam sanctissimum et strictissimum inter omnia jejunia habitum est. Hoc ipsum institutum est ab Apostolis, non promulgantibus divinam legem, sed propria auctoritate utentibus, ad imitationem illius portentosi jejunii quod Christus per quadraginta dies in deserto peregit. Divinum autem jus nihil aliud statuit quam ut carnis mortificationem exerceamus, quatenus ea necessaria est ad tentationes vincendas vel divinam iram placandam: modum vero et tempus illius exercendae Christus Ecclesiae determinanda reliquit.

§ 1. DE JEJUNIO.

437. I. Lex jejunii, prout a lege abstinentiae praescindit, prohibet ne plus quam una refectio plena et sufficiens singulis diebus sumatur.

Attamen, ex usu jam satis antiquo, praeter hanc plenam refectionem, licet vespere collationem aliquam seu cenulam sumere: de ejus qualitate et quantitate dicetur infra (II).

Insuper mane licet aliquid cibi seu, ut aiunt, *frustulum* sumere, modo id quod sumitur non excedat notabiliter duas uncias cibi, puta sesqui-unciam chocolati vel lactis cum dimidia uncia panis, caffaeum parva lactis quantitate temperatum (1) cum duabus fere unciiis (2) panis vel similia. (D'Annib. III. n. 134; Lehmk. I. n. 1211) Ipsa S. Poenit.

(1) Id tamen valet tantum de iis regionibus in quibus viget consuetudo lac extra unicam refractionem adhibendi, ut explicatur Ass. II.

(2) Uncia aequivalat 31 gr. 25 cgr. Profecto antiqui Theologi non semper eundem valorem unciae tribuerunt: sed in his quid prodest rigor mathematicus?